



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et  
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1647**

§. 11. Nomen & insignia foetui impressa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

Augustin.  
Viues in  
Ibi 12 S.  
Aug de  
ciuit. cap  
5 Et Hier.  
Torquet  
mada in  
Horto  
Florum.

que prorsus Acheronticum impressit. Vrbs est, in Brabantia Buscumducis, inquit Augustinus Viues, in qua, ut in alijs eiusdem terra. stato anni die, quo ferunt maximum vr-  
bis templum dedicatum, publicè supplicatur, ludiq; varijs diuis exhibentur. Sunt qui tunc personas diuorum induant: sunt qui demonum. Ex his vnus, cum visa puella exarsisset, domum saltitando se recepit, & correptam, ut erat personatus, uxorem suam in lectum coniecit, se ex ea demonium velle gignere dicens concubuit. Conceptit mulier, & infans, quem peperit, simul primum editus est, saltitare cepit, forma quali demones pinguntur. Hæc Margarita Augusta, Maximiliani filia, huius Caroli amita narrauit Ioanni Lamuxæ homini prudentia incredibili, qui tum erat hic legatus a Ferdinando rege: nunc est huius Cesaris prefectus in Arragonia, vir qui non modo prefecti nomen & personam, sed regis quoque posse sustinere. Hæc Viues.

## §. XI.

Nomen, & insignia fatui impressa.

Cui ego alia duo addo, quæ manu illius habeo consignata, qui coram fuit oculatus testis. Primum est, de puero nobili sanè prosapia oriundo, nominis ac familie  
mihî

mihî notissimæ, qui Bruntruti litteris operam dedit, omnibusque ferè quotidie spectandum dedit ex vtero secum natum maternum monumentum. Erat autem id, retrò aurem, expressum natiuis litteris parentis sui nomen, quod hoc modo accepit. Mater illius, ante coniugium, cum bona parentum voluntate, efflictim amabat sponsa sponsum. Eapropter illum semper mente voluens, quiduis oblarum manu corripere solebat, & in omni re obuia perpetim scribere Sponsi nomen. Prægnans postea aliquando territa aurem fricuit, quo contactu id nomen, quod animo intuebatur, fœtui impressit. Alterum est de antiquissimi stemmatis Comite, qui in lucem editus in fronte decussatos enses, insigne gentilitium, habuit, ab vtero matris apportatum. Posset de natiuis his regum, principum aliorumq; hominum maculis copiosum conscribi volumen. Sed copia nauseam creat. Viues suprâ à me commemoratis subiungit: *Mulieres prægnantes multarum rerum desiderijs tenentur: sæpe carbones appetunt, & cineres. Vidi, quæ morsum cervicis iuuenis cuiusdam: & correpta magnis doloribus abortum fecisset, ni memor-*

disset exanimato panè iuvene, tam auidè infixis dentibus. De his tam absurdis appetentijs ciborum medici quidem plurima, sed & apud Philosophos nonnulla: velut Aristoteles in lib. de Animal. idq; fieri dicunt ex humore in stomacho vitioso: qui si viris quoque contingat, non dissimilia expetent. Quòd si ergo feminis vterum ferentibus negentur eiusmodi desideria, vel abortionem, vel eius ipsius rei, quam adeptæ non sunt, maculam in partu faciunt, ea præsertim parte, quam manu fricant. Cuius rei causa in arcanis naturæ est. Fieri imaginatione, nemo negat; quo modo imaginatio vim hanc exserere possit, nemo explicat satis.

§. XII.

*Quid imaginatio possit, vel non possit, in corpore proprio?*

Multi enim de Phantasia disputauerunt; omnes concedunt vim imaginationis esse maximam. Neque est qui dubitet, imaginationem in corpus imaginantis plurimum posse; immò D. Thomas asserit, posse omnia, quæ naturalem coordinationem habent cum imaginatione, vt sunt motus locales, & alterationes per frigus, calorem, & quæ hanc alterationem consequuntur.

Verba